

B. C. D.  
EXCERPTA  
CONTROVERSIARVM  
DE  
FRVCTIBVS

QVAS

PRAESIDE  
VIRO *Nobiliss. Ampliss. Consult.*  
*atque Excellentissimo,*

DN. JOH. HENRICO  
FELTZIO,

PROF. JCto CELEB. ET  
CAP. THOM. CAN. DIGN.  
SOLENNI CENSVRÆ SVBMITTET

*Ad Diem 31 Maji 1720.*

JOH. MICHAEL LE VAYER,  
*Tullensis.*

---

ARGENTORATI,  
Literis Viduae JOSIAE STÆDELII, Acad. Typogr.



Diss. jur. civ.

224, 16

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "VON" and "MICH" are faintly visible.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "MICH" and "VON" are faintly visible.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "MICH" and "VON" are faintly visible.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "MICH" and "VON" are faintly visible.

## PROOEMIUM.

**F**ructus sunt accessiones  
 rei, quæ ad usum homi-  
 nis percipiuntur. Sunt vel  
 Naturales, quos natura, In-  
 dustriales, quos opera huma-  
 na producit, Civiles, qui oc-  
 casione rei alicujus propter con-  
 ventionem vel æquitatem per-  
 cipiuntur. Sunt porro vel

A 2

Per-

*Pendentes, qui adhuc fundo  
 cohærent, Percepti, qui a  
 fundo separati, Percipiendi,  
 qui a Possessore neglecti sunt.  
 De his omnibus sæpe Contro-  
 versia oriuntur inter Domi-  
 num & Possessores fundi, qua-  
 rum aliqua Dissertationis  
 Academicæ causa hic sistentur.  
 Sit itaque*

CON-



## CONTROVERSIA. I.

*An Bonæ fidei Possessor fructus suos faciat?*



**B**onæ fidei Possessor est is, qui credit fundum quem detinet, esse suum aut auctoris sui; Si itaque verus Dominus superuenit, atque fundum a possessore vindicat, quæritur an rem cum fructibus repetere possit?

A 3

fit?

fit? Videtur primò quod sic, quia qui principale petere potest, potest etiam petere accessorium, qui petit totum, petit etiam partem; Jam autem quis negabit, fructus esse fundi accessorium, vel partes fundi. Huc facit egregiè l. 22. *Cod. de Rei Vind.* Certum est ajunt Impp. Dioclet. & Maximianus, mala fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re prestare, bona fidei vero extantes, post autem *Litis Contestationem* *Universos*. Conferatur quoque l. 35. S. 1. ff. de R. V. ubi dicitur, non debere lucro possessoris cedere fructus, cum victus sit. Id quod adhuc magis confirmatur pr. l. 45. ff. de Usuris, in qua ne potum quidem bonæ fidei possessoris esse dicitur.

Verum hisce textibus graviter obstat l. 48. ff. de A. R. D. in qua Paulus dicit Bonæ

næ

næ fidei Emptorem *omnes* fructus ex aliena re suos facere, quia quod ad fructus attinet, loco Domini pene est. Cum qua aliqua tenus conspirat Lex i. §. i. C. de petit. hered. & §. 35. l. de R. D.

In hoc textuum apparenti divortio nos putamus primò distinguendum esse, inter fructus pendentes & perceptos. Pendentes indubié veri Domini sunt, cum sint pars fundi, l. 44. ff. de R. V. ad quem ergo spectat totum i. e. fundus, ad illum etiam spectat pars fundi i. e. fructus pendens. *Secundo* distinguendum est inter fructus perceptos extantes & consumptos. De consumptis B. F. P. securus est, Dominus enim vindicans de fructibus consumptis agere non potest, §. 35. l. de R. D. nisi in iudicio universali, quatenus hereditatis possessores ex fructibus consumptis locupletio-

res

res facti sunt l. 25. §. 11. ff. de H. P. vel nisi consumti post Lit. Cont. nam tunc B. f. P. comparatur m. f. possessori l. 22. C. de R. V. Tertio Disting. inter fructus extantes an sint usucapti, nec ne? Illos sive dubio post triennium suos facit B. F. P. l. 4. §. 5. ff. de Usucap. l. 45. hos vero non; siue sint naturales, quia non ex facto b. f. p. proveniunt, sed sponte nascuntur siue sint industriales, quia non tantum Lex 22. C. de R. V. eos non excipit, sed quia expensæ fructuum & sumtus, quibus res facta melior est, ei restituuntur.

Distinguendum quarto est inter Dominium revocabile & irrevocabile. Cum enim omnis B. F. P. sit Dominus præsumtus etiam fructus ad eum pertinebunt jure Domini præsumti. Fructus ergo omnes s. naturales s. industriales suos facit, quosdam re-  
 voca-



vocabiliter & sic omnes fructus interim, donec vindicetur fundus, ad eum pertinent l. 48. ff. de A. R. D. quosdam vero irrevocabiliter, uti fructus consumptos & usucaptos. Hisce Distinctionibus bene observatis ad leges obstantes facile responderi potest, quas in Conflictu adhuc amplius explicabimus.

## CONTROVERSIA II.

*An M. F. P. Fructus suos faciat?*

**P**offet dici Malæ fidei Possessorem ad minimum fructus industriales, quos consumsit, lucrari debere, quia *primó* hac acquisitione Vero Domino nullum præjudicium creat, *secundo* ex proprio labore producuntur, *tertio* quia in materia impensarum, aliquo modo indemnis servatur.

Verum in Odium malæ fidei Possessorum,  
 B rum,

rum, qui sciunt fundum esse alienum, in-  
 troducitur est, ut non tantum fructus ex-  
 tantes omnes, non tantum consumptos, sed  
 & percipiendos, i. e. eos, qui adhibita di-  
 ligentiori cura ex re produci potuissent, tene-  
 antur Vero Domino præstare. *l. 22. C. de R. V.*  
 à quo rigore nec fictus m. f. Possessor, qua-  
 lis est omnis B. F. P. post Litis Contestatio-  
 nem, immunis est, *l. 2. C. de fruct. & lit.*  
*expensis*, cujus gratia tamen DD. hoc tem-  
 peramentum obseruandum esse putant, ut  
 M. F. P. verè talis omnes fructus, quos quo-  
 cunq; modo percipere potuisset, Fictè vero  
 talis eos tantum, quos ipse communi dili-  
 gentia percipere potuisset, restituere teneat-  
 tur. *Brunnem. ad l. 2. C. de fruct. & lit. exp.*

### CONTROVERSIA III.

*An Fructus meliorationum  
 subintelligantur in condem-  
 natione ad rem cum fructi-  
 bus restituendam?* Casus

**C**asus hic est: Ego fundum, quem dum possideo meliorem facio. Reddebat annua centum, melior à me factus, reddit præter annua centum adhuc quinquaginta. Rei Vindicatio contra me instituitur, condemnor ad fundum cum fructibus restituendum. Quæritur an Domino restituere tenear annua centum secundum antiquum statum, an vero centum quinquaginta.

De Bonæ fidei Possessore nullum est dubium, quin fructus meliorationum sibi retineat. Nam meliorationes jure quasi proprio ad meliorantem b. f. possessorem pertinent, Ergo etiam ea, quæ ex meliorationibus sequuntur sc. Fructus meliorationum ad meliorantem pertinebunt. *arg. l. 31. ff. de R. V.* Fructus ergo habet tales jure domini. Absurdum porro etiam esset, meliorationum verum valorem me à Domino vindicante petere posse, obligatum autem  
me

me esse ad Fructus meliorationum perceptos restituendos.

Sed de M. F. Possessore sive vero s. ficto quæstio difficilior est. Qui enim scit rem esse alienam, in dolo est. Dolus autem nemini debet patrocinari. Verum eadem ratio, quæ militat pro b. f. Possessore militat etiam pro m. f. Possessore. Nam si mala fides non aufert meliorationes extantes, quippe m. f. Possessor eas tollere potest, quæ ergo causa erit, ut obligetur ad restituendos Fructus, quos ex meliorationibus, quas tollere potest, & ad quas obligatus non fuit, percepit. Habet ergo hos Fructus potiori jure quam possessionis. Neque obstat hic mala fides, quæ saltem est circa rem, non circa meliorationes, quas interno & externo judicio meas esse certò scio.

F I N I S.

*Diss. jur. civ. 224, 16.*